# HISTORIA APOPLEXIAE

## AB ANTIQUISSIMIS TEMPORIBUS USQUE AD FINEM SECULI PRAETERITI.

---

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
**GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS**
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM
VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD SUMMOS
**IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES**
RITE ADIPISCENDOS
**DIE VII. M. JULII MDCCCLX**
UNA CUM THESIBUS PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

**ARMINIUS FRIDERICUS PAULI**
ANHALTINO-BERNBURGENSIS.

---

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:
**ADOLF LIEBERKÜHN**, MED. DR. PRACT.
**GUSTAV JACOBI**, DD. MED.

**HALIS SAXONUM,**
TYPIS EXPRESSUM GEBAUERIO-SCHWETSCHKIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO CELEBERRIMO

# E. BLASIUS

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO,
INSTITUTI CLINICI CHIRURGICO-OPHTHALMIATRICI DIRECTORI, REGI
A CONSILIIS INTIMIS, EQUITI P. P.

PRAECEPTORI MAXIME VENERABILI

HASCE PAGELLAS PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

**AUCTOR.**

# PRAEFATIO.

Quamquam bene video, tractationem historiae morbi tam gravis et scrupulosi, qualis est apoplexia cerebralis, et autore in libris virorum, de quibus mentio facienda, optime versato atque omnino in universa scientia medica probe exculto dignam esse, et plus haud dubie temporis sibi postulare, quam mihi in eam conferre licet: tamen hanc scriptionem suscepi, ne adaugerem immodicum numerum dissertationum ejusdem morbi imaginem rursum saepe et rursum delineantium. Amplitudo finium historiae medicae nimirum prohibuit, quo minus sententias vel eorum virorum, quorum nomina ut principum medicae scientiae hisce pagellis recensentur, subtilius exculerem, neque ultra Morgagnium me sivit progredi.

# HISTORIA APOPLEXIAE CEREBRALIS.

Historia apoplexiae cerebralis ad Hippocratem usque ascendit. Antiquissimas illas morborum enarrationes, quas illius nominis secundus in templo Aesculapii Coi collegisse traditur, etiamnunc quibusdam ex partibus summum locum obtinere confitendum est. Quamquam enim Hippocrates, occasione in cadaveribus observandi negata, de proprio morbi processu omnia plane videre non potuit, et quamquam apoplexiam et syncopen cum paralysi confundit, illam dicens esse universalem paralysin: attamen illius observationes de aegrotorum habitu, de necessitate febrilis reactionis in apoplexia, de mala prognosi ex intermittenti et stertorosa respiratione, ac praecepta de curatione apoplecticorum etiamnunc aestimantur et in

usum vocantur [1]. Etenim omnium temporum medici, quatenus sese liberantes a Galeno antiquorum sententias ruminante, ab Arabibus Graecorum sententias depravantibus, a monachis rudi doctrina differtis, a Paracelso alchymistico vapore tumefacto, et ingenia expedientes e doctrinis paulo quidem purioribus illorum, quos Helmontius et Sylvius Chemistas appellant, ex praeceptis Stahlii et Hoffmanni ac denique e disciplina Brownii, diligenterque ipsi observantes ex puro fonte naturae hauriebant: eatenus in magni medici Coi doctrinas redibant.

E numero medicorum temporis Imperatorum Romanorum nominandi Aëtius, Aretaeus, Celsus. Hic docuit [2] venae sectionem apoplecticis aut vitam ferre aut mortem, quam ob rem Aëtius [3] venae sectionem experimentalem instituit. Aretaeus jam novit chiasma phaenomenorum hemiplegicorum. Apollonius Archistratus primus insolationem inter momenta

---

1) Quod apoplexias inter annos quadragesimum et sexagesimum frequentissimas, et hieme frequentiores esse quam aestate notavit, quodque venae sectionem et purgantia commendavit, in his etiam hodie Hippocratis veritatis autor est.

2) Celsus, lib. II. p. 79. III. cap. 37.

3) Aëtius, lib. VI. 27.

aetiologica apoplexiae recensuit [4]). Asclepiades Bruraeus primus in quibusdam apoplexiae casibus trepano usus est.

Venimus ad Galenum [5]) summum inter antiquos polyhistorem, cujus doctrinae per totum aevum medium pro oraculis habebantur, donec tempore reformationis ecclesiasticae etiam in medicina veritas studiosius quaeri coepta est. Sedem morbi nostri in cerebro ponit, quum in illo omnes functiones animales sint sublatae. Fluido quodam frigido, viscoso ventriculos cerebri ait esse impletos, et quum cerebrum nullo pacto nulloque loco aere contingi possit, calorem internum strangulari et correptos conscientiam motumque amittere. Hyperaemiam quoque cerebri Galenus jam in momentis causalibus habet, similem quidem inflammationi, sed non eandem, quum hic autor apoplexiam in acutis morbis febri vacantibus habeat. Respirationem et arteriae pulsum perdurare probe scit, et cum Hippocrate stertorosam et intermittentem respirationem malum symptoma esse judicat. Galeni arbitrium, in apoplexia corpus, in epilepsia ventriculos, in

4) Galenus, I. 167.

5) Galeni opera, tom. VIII.

catalepsia mediam partem cerebri correptam esse [6]), toti aevo medio pro norma fuit. Primus distinxit apoplexiam „ex atra bile." Notabile est quod observavit, in pura affectione cerebri rarissime sphincterum paralysin adesse, quorum ex affectione medullae spinalis malum dignoscit. In prognosi et therapia Hippocratem sequitur.

Praeter venae sectionem Galenus infrictionem medicamenti ex permultis compositi, quod appellat Cephalicum [7]), commendat, quo reactio febrilis, quam cupide expetit, initium capiat.

Sane Galeni de apoplexia scientia admiratione nostra digna est, si cogitamus illum autopsia prorsum caruisse, scientiam suam anatomicam in simiis collegisse, ac felicem se praedicasse, quum aliquando sceleti humani compos fieret. Cujus more si continuata essent studia religione, quae humana cadavera inspicere vetaret, sublata, recenti tempori et scholae pathologico-anatomicae minus essent exquirenda nova, quam confirmanda antehac tradita.

Verum non ita res evenit, et post Galenum inde ab Arabum, qui soli artem colebant, disciplinis scientia

---

6) Opera omnia IV. 79. 80.

7) Galeni opera VII. 60.

medica retrorsum cedebat, donec ex tempore monachismi, qui ejus culturam inexercitatis manibus tentabat, sententiae occurunt, quae sane miserabiles videntur, quoniam demonstrant, illos homines, qui sibi tam docti videbantur, ne Hippocratis quidem observationum notitiam habuisse et studium anatomiae a Galeno inchoatum penitus neglexisse. Arabum quidem ingenii sterilitas etiam in medicinae cultura apparuit, licet excusandi sint eo nomine, quod religione sua vetantur humanum cadaver dissecare. Mutilae traductiones Hippocratis, Aristotelis, Alexandrinorum, Methodicorum, Pneumaticorum, Galeni illis fontes erant, ex quibus etiam doctrinam de apoplexia suam hauriebant, de qua novas observationes ab illis nullas habemus.

Avicenna sedem mali in vasis cerebri ponit, quae apud Arabes venae apoplecticae nominantur. Ea existimat esse compressa et impotentia functionis, ad instar nervi ligatura adstricti, atque efficaciam cerebri sic privati spiritu vitali nullam posse exstare. — Ebn Sina ut frequentissimam causam incusat plethoram, et inter prodromos apoplexiae vertiginem recenset, cujus distinguit duas species, tenebricosam et caducam. Notabilis hujus est sententia, apoplexiam, etiamsi compluribus letalibus indiciis sit conjuncta, sanari tamen

posse. Vidisse semet ait nonnullas personas hujus mortis speciem prae se ferentes, quae tamen in vitam redierint; bene igitur utcunqne fieri, si sub talibus conditionibus sepultura in horas septuaginta duas differatur.

Therapia Arabum ab Hippocrate parum declinabat; namque notum est Baktischwahum a. 772 p. Chr. Harunem al Raschid apoplexia percussum venae sectione a morte vindicasse. Praeterea Arabes apoplecticorum extremitates obligare, capiti aquam gelidam imponere, clysmata acria dare solebant.

Paralysin, quam ex apoplexia residere jam Hippocrates tradidit, Avenzoar a se feliciter sanatam esse praedicat.

In monachorum tutela, id quod jam supra notatum, apoplexiae scientia parum profecit. Celeberrima illo tempore fuit schola Salernitana, cui monachi ad praxin medicam se accingentes erant examinandi. At illorum medicorum ad doctrinas horror capillos erigit: praecepta therapeutica ab iis data illarum crudelitatum admonent, quas Romana Inquisitio exercitavit. Ex hoc tempore nihil video notabile et quod nostram attentionem mereatur, quam ob rem continuo ad id tempus transimus, quo studia literarum classicarum in

Germania reviviscebant, quo Leonhardus Fuchsius Sarracenorum praecepta impugnabat, quo Salius Diversus, Felix Platerus, Petrus Forestus, Donatus, Fernelius numerum historiarum morborum praestantissimarum scribebant, quo ex tempore etiam Schenkius de Graffenberg nominandus.

Fuchsius quidem exactissimo scribendi genere et proba latinitate excellens Hippocratem in omnibus partibus sequitur.

Fernelius casum quendam enarrat, ubi apoplexia ictu in sinistrum oculum dato orta est, et unam ex primis relationibus de cadaveris inspectione habet.

Donatus casum refert intoxicationis gaso carbonis oxydati factae.

Numerosissimas autem historias et argumenta ex cadaverum inspectionibus hausta Schenkius[8]) communicat, cujus observationes omnem in partem utilia suppeditant.

Apoplexiam distribuit in a) sanguineam, b) serosam,

---

8) Observation. I. 82. 83.

c) ex atra bile, d) ex calidis humoribus, e) ex causis externis oriundam.

Idem describit effectus thermarum Badensium prope Vindobonam, vim apoplecticam lunae, fulminis (secundum Celsi et Cardani [9]) autoritatem), puerperii, globorum missilium cavorum si quem praetervolent et motuum terrae. Therapiam exercebat ab Hippocrate propositam, venae sectiones, cataplasmata, clysmata acria, quorum in usu accuratam rationem constitutionis corporis, occupationis, aetatis aegroti, temporis anni et secretionum habebat.

Ad Paracelsum transeamus. Is symptomatum scientiam atque historiam apoplexiae non magis quam ceteras doctrinas novis inventis ditavit. Hujus meritum in inventione immodici numeri remediorum et praeparatorum chemicorum, potissimum de Hydrargyro, positum est. Ceterum et ipse et imitatores ejus nosologiam tot halucinationibus alchymisticis adulteraverunt, ut et illius et horum opera ab hominum nostri temporis gustu prorsus aliena sint.

Ex systemate Paracelsi post quandam purificationem et reformationem a medicis vere doctis et classi-

---

9) Celsus lib. III. 27. Cardanus de fulgure II.

carum literarum studio excultis effectam Chemistarum schola prodiit. Quum apud optimum quemque autorum supra laudatorum, qui fuerunt ante Paracelsum, Hippocratica sola principia obtinuissent, apud Jatrochemicorum principes alchymisticae argutiae et Paracelsianae doctrinae irrepebant, quo de genere est „Archaeus", qui plus aut minus occultus et alteratus juxta fermentationem, quae quidem ut contactu effecta passim occurrit, apud Cartesium, Helmontium, Sylvium de la Boe partes suas agit.

In nosologia Sylvii [10]) potissimum doctrinae momentum habebant, a quo creata acrimoniarum notio infausta sane vicacitate in nostra usque tempora perduravit, licet vulgi tantum in oribus nunc sit superstes. Quod ad ejus doctrinam de apoplexia attinet, explicatio processus morbosi sufficere vix potuerit; et quamvis multa in ejus observationibus summopere laudanda sint, hoc tamen dolendum, quod bona, maximam partem ex antiquorum libris (quos doctus vir probe cognitos habebat) repetita tot ineptiis alchymisticis sunt intertexta, ut lector opera ejus non fastidire vix possit. De apoplexia haec tradit: „Oritur proxime apoplexia vel 1. ob spirituum animalium conturbationem:

10) Franzisci de la Boe Sylvii opera medica. Lib. II. cap. 21.

vel 2. ob eorundem torporem et immobilitatem: vel 3. ob eorundem defectum, et eum quidem vel quia non generantur, ex defectu sanguinis ad cerebrum et cerebellum non delati, propter arteriarum angustiam vel rupturam; vel quia ad organa non deferuntur, propter nervorum angustiam, vel dissectionem." Laborant igitur spiritus animales, nervi, cerebrum, sanguis et cor, quod quidem aeque ac pulmones saepe laesum est. Etiam medulla male affecta et sanguine compressa esse potest, unde efficacitas spiritus animalis est sublata. Saepe carotidis vitium exstat, vel vasorum magnorum aliquod subligatum est. Ad therapiam haec affert: „A sanguine Apoplexia si accidat, duo peragenda, sanguinis effluxus ulterior impediendus, et qui jam effluxit sanguis, inde removendus." Commendat medicamenta per nares et palatum humores educentia (nigellam, zingiber, convallariam, castoreum) vel laxantia (scammonium, colocynthidis fructus, euphorbium). Setaceum quoque, vesicatorium, venae sectio aptissima remedia ei videntur, quoniam humores a corde deducant. Probe dissuadet immodicum opii usum, quo facile sanguinis ex cerebro effluvia moveantur. Egregie senibus, qui pituitosos succos habeant, roborantia (mastichen, thus, rosmarinum, caryophyllos, similia) dare suadet. Praeterea diaetam

jubet ordinari, venae sectionem et purgans passim adhiberi. Sylvii doctrinae, in quibus sectatores scholae ejus normam suam habebant, copiosius explanatae sunt.

Atque hic locus est inferendae mentionis trium medicorum de doctrina apoplexiam spectante optime meritorum, Wepferi, Willisii et Bonetii, qui omnes de Sylvii schola erant et tamen, quum sincero veritatis studio conducti magistri doctrinas, saepe carentes argumentis, secundum suas observationes subtiliter institutas excuterent, et iis, quae ex cadaverum inspectionibus diligenter collegerant, refellerent, multo plura reperiebant nova quam plerique antecessorum.

Joannes Jacobus Wepferus, natus Schafhusae a. 1620, mortuus ibidem a. 1691 medicus celeber et communi omnium favore florens dignationem illam meretur, quae ei etiam nunc habetur a summis artis nostrae principibus, ut a Schoenleinio nostro, qui solum Wepferum juxta Moulinum ad speciale apoplexiae [11]) studium disertis verbis commendat. Opus illius [12]) longam seriem continet praestantissimarum

11) Schoenlein, Spec. Pathol. u. Therap. II. 108.

12) De affectibus capitis. Schafhusii 1724. 4.

enarrationum morborum, quae sunt relationibus de cadaverum inspectionibus confirmatae, et inter quas non paucae de apoplexiis agunt. Quo pacto fiat apoplexia probe interpretatur, longe alio quam Sylvius modo. Sedem mali ait esse substantiam medullarem cerebri, subtilissimis poris et canaliculis sanguinis et exhalatorum spirituum vitalium transitui inservientibus interruptam. In quam si sanguis vel serosa colluvies sit effusa, spiritus vitales et sanguinem ad cerebrum, et rursum spiritus vitales ex cerebro ad organa pervenire non posse. In causis habet obstructionem et ossificationem [13]) carotidis, compressionem ejusdem e glandularum tumoribus, sanguinis in cerebrum effusionem, quo nervi corrodantur. Quae inter momenta aetiologica de fascinatione, de malo lunatico, similibusque offendunt, ea non Wepfero, sed medicis, qui ad illum literas dederunt, tribuenda.

Porro nominandus est Thomas Willisius, qui Wepfero, cujus doctrinam sequitur, plura addit. Compressio arteriarum sola huic non sufficit ad apoplexiam efficiendam, quoniam, id quod experimentis injectioriis demonstravit, arteria vertebralis carotidis vices

---

13) Wepferus ipse obiit ex absoluta ossificatione Aortae abdominalis.

agat [14]), et quoniam in cadavere utramque arteriam alterius lateris ossificatam invenierit, nulla tamen apoplexia inde orta. Periculosior ei videtur copiosa haemorrhagia, quae extravasata relinquat. Ceterum apoplexias distribuit in 1) Apoplexiam cerebri, 2) cerebelli; a) universalem, b) partialem, c) hereditariam, d) acquisitam, e) accidentalem, f) habitualem.

Digna memoria ejusdem doctrina est, apoplexias plerasque sedere in regione corporis callosi (quae ei videtur provincia repraesentationis et conscientiae), quum revera plerarumque haemorrhagiarum is focus sit. Quae hic disseruit de succo acri e nervis exeunte, ea refellit Wepfer, qui nervos semper solidos vidit.

Denique Theophilum Bonetium nomino, cujus in Sepulchreto quaedam de apoplexia praeclare disseruntur. Sic primum casum hic memorat, quo paralysis eo in latere corporis exsisteret, quod sedi foci apoplectici in cerebro responderet.

Sydenhamii [15]) principis practicorum sui temporis, scripta novas observationes de nostra materia

---

14) Thomae Willisii de morbis, qui ad cerebrum et genus nervosum spectant, Opera. II. 7. p. 215.

15) Thomas Sydenham's medicinische Schriften. p. 381.

non afferunt; therapeutica tantum praecepta insunt (de venae sectione, vesicatorio, cephalicis), quae quidem jam apud Willisium Wepferumque, atque multo copiosiora habemus.

Ad scholam iatromathematicam perveminus. Duo in hac praecipue eminent viri, Laurentius Bellinius et Baglivius. Ille [16]) primus singula symptomata apoplexiae mechanica ratione et exacte interpretatur. Id primum ad respirationem stertorosam attinet, quam in paralysin musculorum pectoralium reduxit. Inde fieri, ut parum aeris in pulmones pervenire possit et hi parum extendantur; sanguinem vero continuo flumine aggestum ad motus respiratorios incitare, itaque aegrotum contendere ut solito plus aeris per nares et os in pulmones impellat [17]). Sic stertorem gigni eamque vocem, quae strangulationem imitetur.

In causis apoplexiae etiam tumores in cerebro, calculi, enchondromata, aneurysmata, cystae, pili et alia pseudoplasmata in cerebro ab eodem recensentur. Stupor et tremor ei oriuntur spiritibus vitalibus minus vividis et exilientibus, et tremor quidem, quoniam

16) Laurentii Bellini opera, p. 371 sqq.

17) Ibid. p. 374 sqq.

latus apoplecticum sit gravius, et aegrotus modo contendat ut id aucta musculorum actione aequale teneat, modo musculos relaxet. Urina ei saturata est, quoniam fluidum illa secernendum in cerebrum effusum sit: inde saturitas coloris et ubertas sedimenti. Aetiologia apud Bellinium subtiliter exposita est: senilem aetatem, boreales regiones, frigidum anni tempus, plethoram, serosam sanguinis conditionem, anaemiam, dissolutionem sanguinis in quantitate normali enumerat; spumam, de qua jam Hippocrates mentionem facit, propriam esse serosae apoplexiae, et gigni permixtione aeris et humoris pituitosi immodica copia e relaxatis vasorum parietibus emissi. Phrenitidem juxta apoplexiam frequenter occurrere. Reactio febrilis et ipsi exoptata est; verum omnium antecessorum sententias corrigit admonens, illam non nisi in pituitosis extravasationibus prodesse, in apoplexia e plethora perniciosissimam exsistere. Paralysin tum fieri, si compressio in tantum induret, ut vasa penitus obstrui possint. Denique distributio apoplexiae in sympathicam et idiopathicam mentionem meretur.

Apud Baglivium, qui de therapia quoque agit, paucae sunt theses, sed eae ex ipsa vita repetitae. In apoplexia sanguinea venae sectionem adhibet, in

pituitosa spem salutis in emetico ponit, et hujus generis aegrotos etiam superata accessione per longum tempus vomere jubet. Clysmata parca quantitate esse danda, quoniam aegrotus musculis paralyticis copiosiora retinere non possit. Si ne exiguae quidem portiones retineantur, paralysin eo esse progressam, ut mors prope instet [18]). Clysma eo quoque prodesse, quod apoplectici a flatibus et obstupatione laborent. Si lethargus intret, nonnunquam pulsum eatenus parvum et inanem fieri plenum; id malignum esse symptoma. Vesicatoria plerumque parum prodesse. Paralyses ut plurimum remanere.

Haec de Bellinio et Baglivio, praestantissimis inter hujus scholae medicos.

Jam convertamur ad magnos reformatores seculi XVIII., ac primum ad illos, qui magna doctrina et ingenio elati nonnulla attrectarunt, quae experientia plus viginti seculorum confirmata erant. Halenses dico medicos, Fridericum Hoffmannum et Georgium Stahlium, qui semper ad regulam experientiae e naturae observatione conducti, summi aetatis suae medici praedicandi sunt.

---

18) Georgi Baglivi opera omnia. Antverpia 1715. p. 111 sqq.

Friderici Hoffmanni scriptis bonae et novae observationes de apoplexia ejusque curatione continentur, tamen et insunt, quae cum experientia non prorsus congruere videantur. Ita existimat, quo apoplexia gignatur, plerumque gravi sanguinis dissolutione opus esse, et mechanica circuitionis impedimenta, quae Baglivius et Bellinius tam graviter incusaverant, justo minoris aetimat. Apoplexia, inquit, ob sublatum nervorum influxum subito necat. De aetiologia copiose agitur, ac primus apud hunc sermo fit de praedis positione ex cerebri affectionibus, quae antecesserint. Effectus effusi sanguinis in singulis nervorum cerebri provinciis apparentes pertractat et dicit, ubi aqua fuerit posita, si coerceatur ventriculis, soporem inde sequi; si comprimat nervum vagum, mutitatem; si late per cerebrum sit diffusa, maniam vel melancholiam. De abusu monet praeparatorum mercurialium. De diagnosi, prognosi, therapia novi nihil habet.

Georgio Ernesto Stahlio[19]) videtur, in hemiplegiis plerumque sinistrum latus affectum esse. Cavere jubet, ne difficultates respirationis in adolescentum

---

19) E. G. Stahlii med. dogmat. system. Sect. II. Halae 1707. p. 339—346.

apoplexia cum spasticis affectionibus confundantur, neve aurium susurri apoplexiae praecedentes ex catarrho oriundi putentur. Suppressos pedum sudores, menses, catarrhos saepe esse in causis. In senibus apoplecticis sphacelum esse frequentem.

Majora praestitisse dixerim Hermannum Boërhaavium discipulosque ejus Van Swietenium et de Haenium, professores Vindobonenses. Non solum gnari eorum, quae antiquitas et quae aetas media condiderunt, non solum muniti universali in una quaque provincia scientiae nostrae cultura, quali haud scio an pauci utantur eruditi, hoc expetebant, ut theoriam et praxin e mutuo nexu illustrarent, et quibus rationibus morbi essent sanandi, a natura ipsa discerent.

Propius accedamus ad Boërhaavium[20]) commentatoremque ejus Van Swietenium. Inter turbationes circuitionis sanguinis prima embolorum fit mentio (§. 1010); affectus animi, insolatio, vulnera, compressio vasorum colli, acrimoniae, atra bilis, denique venena (spiritus aethereus, spir. salis marini, spir. nitri dulcis) ut momenta causalia recensentur. Quod attinet ad stertorem, ad spumam oris etc., in Coas

20) Hermanni Boërhaavii Aphorismi.

prognoses recurritur. Sudorem, diarrhoeam, haemorrhoides, menses, vomitum esse critica symptomata; stuporem, soporem, tinnitus aurium, inflatam faciem, incubum et profundam inspirationem apoplexiae praecedere. In curatione discrimen inter sanguineam et serosam apoplexiam subtiliter observatur: in illa commendantur ut derivantia: balneum, epispasticum, rubefaciens, vesicans, causticum, setaceum, fonticulus, frictio, ligatura; ut evacuantia: scarificatio, venae sectio, purgans. In apoplexia serosa diuretica et purgantia drastica praedicantur. In omni apoplectico, antequam mortuus esse credatur, experimenta de restauranda vita esse instituenda admonet.

Ad Boerhavium proxime accedit de Haënius, sed qui nullius rei novae et notabilis autor est.

Boerhaavii schola in eo potissimum absoluta apparet, quod libera a multorum antecessorum arrogantia, qui leges naturae praescribere videbantur, solam experientiam sequebatur, quae in aegroto, quaeque in sano homine observabantur semper comparans, physiologiam et nosologiam in unum conjungens; atque quod nihilo minus ex altera parte aliena erat ab illo empirismo nimium circa externa versante, qui in novissimum usque tempus, licet Stollius, Sellius,

alii probissimas observationes et quibus practici carere vix possint, multas fecerint, reprehensus est in sectatoribus rationis empiricae. Ex his aliqui certe hic memorandi sunt, praecipue Maximilianus Stollius, cujus ratio medendi [21]) omnium temporum medicis regulae esse potest. Is de apoplexia in prima parte agens distinguit 1) Apoplexiam sanguinem, 2) A. *ἰσχύ-ρ̣ν*, 3) A. hystericam, serosam, pituitosam, *ἀσθένειαν*, hypochondriacam, nervosam, 4) A. periodicam, 5) A. infantum. Gradus apoplexiae statuit hos: 1) Incubum, 2) Carum, 3) Paresin, 4) Coma, 5) Parapoplexiam, 6) Apoplexiam. Causas recenset has: 1) Dentitionem difficilem, 2) Exanthemata acuta, 3) Vermes, 4) Dolorem, 5) Opium et venena, 6) Dyscrasias (malum aerem, arthritidem). Quod attinet ad diagnosin, cum Salio Diverso distinguit:

| 1) A. sanguineam. | 2) A. serosam. |
|---|---|
| juvenis | senex |
| | mulier |
| robur | non robur |
| rubor in facie | pallor in facie. |

Valsalva existimabat, id latus, in quod aegrotus

21) M. Stollii ratio medendi. Tom. I. p. 344—590. Vindob. 1786.

procideret, esse sanum. In therapia a prioribus non multum discedit; in Apoplexia serosa venae sectiones commendat, resorptionis adjuvandae causa.

Sellius[22]) inter prodromos praeter notos habet odontalgiam. Intemperantia in victu et vita sedentaria praedispositionis causae ei videntur. Vasa sanguifera plerumque aegrotae, et fortasse etiam spasmum cerebri exstare existimat. His praemissis de aetiologia subtiliter agitur. Causae enumerantur hae: Vulnera capitis, nimietas seri et pituitae, animi affectus, vermes, obstupatio, affectio ventriculi, pectoris, polypi cordis; aneurysmata, temetorum creber abusus, insolatio, gelu, narcotica, exanthemata, potentiae debilitantes. Sellius distinguit Apoplexiam sanguineam, serosam, gastricam et malignam. Contra gastricam commendat emeticum Respiratione turbata propinat sudorifera, in intoxicatione e narcoticis acida, debilitatis hominibus roborantia.

Jam pervenimus ad Joannem Baptistam Morgagnium, qui per vitam longam, paene nonaginta annorum, indefatigatus scientae minister, maximum

---

22) Christianus Theophilus Selle de curandis hominum morbis! p. 352 sqq. Berolini 1798.

numerum exemplorum naturae morborum plurimum lucis afferentium observavit et descripsit, diagnoses ex cadaverum inspectione probissime confirmavit, et in libris suis „de sedibus et cansis morborum“ thesaurum eximiae scientiae nobis reliquit. Tertia epistola et quarta de Apoplexia agitur. Secunda epistola anatomico-medica in expositione historica ex iis, quae de Apoplexia inventa sunt, maxime notabilia recenset.

Ceteri illius seculi scriptores de Apoplexia nihil attulerunt novi.

# VITA.

Arminius Fridericus Pauli, confessioni addictus evangelicae, natus sum die V. m. Junii anni hujus s. XXXV in pago Anhaltino-Bernburgense, cui nomen est Schilo, patre Carolo, sacerdote, matre Luisa e gente Daude, quorum priorem morte mihi ereptum valde lugeo. Primas litteras postquam Ballenstadio didiceram, in gymnasium Quedlinburgense Bernburgenseque migravi. Inde maturitatis testimonio ornatus tempore vernali anni h. s. LV litterarum universitatem petii Lipsiensem medicinae studiis obsecuturus; tum post spatium semestre Berolinum me contuli, inde duos post annos hanc almam litterarum universitatem Fridericianam adii.

Per quadriennium hisce interfui scholis:

Lipsiis:

Ill. Mettenius de botanice; Ill. Erdmann de chemia; Ill. Weber de osteologia.

Berolini:

Ill. Trendelenburg de logice; Ill. Lichtenstein de zoologia; Ill. Rose de mineralogia; Ill. Magnus de physice; Ill. Mueller de anatomia et de physiologia et una cum Ill. Schlemm de arte cadavera recte dissecandi; Ill. Mitscherlich de pharmacologia speciali et medicamentis excitantibus; Ill. Virchow de pathologia universali; Exp. Gurlt de chirurgia; Ill. Henoch de pathologia et therapia speciali; Ill. Traube de auscultatione et percussione.

Halae disserentes audivi:

Ill. Blasius de instrumentis chirurgicis, de akiurgia, de fracturis et luxationibus, de operationibus chirurgicis cum cursu practico conjunctis.

Scholis clinicis interfui chirurgico-ophthalmiatricis Ill. Blasius, medicis Ill. Vogel, obstetriciis Ill. Hohl.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias quam maximas habeo semperque habebo.

# THESES.

I.

Placenta diutius quam horam dimidiam retenta solvenda est.

II.

Cubebarum usus non in omnibus gonorrhoeae stadiis permitti potest.

III.

Operatio hydroceles per incisionem facta injectionis methodo praeferenda est.

IV.

Cordis motus non a cerebro nec a medulla spinali pendent.